## *Martial, Epigramme*

Nuper erat medicus, nunc est vispillo Diaulus:
Quod vispillo facit, fecerat et medicus.

(I 47)

Nullus in urbe fuit tota qui tangere vellet
uxorem gratis, Caeciliane, tuam,
dum licuit; sed nunc positis custodibus ingens
turba fututorum est: ingeniosus homo es.

(I 73)

Dimidium donare Lino quam credere totum
qui mavult, mavult perdere dimidium.

(I 75)

Abscisa servum quid figis, Pontice, lingua?
Nescis tu populum, quod tacet ille, loqui?

(II 82)

Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cuius carmina nemo legit.

(III 9)

Omnes quas habuit, Fabiane, Lycoris amicas
extulit: uxori fiat amica meae!

(IV 24)

Cana est barba tibi, nigra est coma: tinguere barbam
non potes - haec causa est - et potes, Ole, comam.

(IV 36)

Galla, nega: satiatur amor, nisi gaudia torquent:
sed noli nimium, Galla negare diu.

(IV 38)

Semper pauper eris, si pauper es, Aemiliane.
Dantur opes nullis nunc nisi divitibus.

(V 81)

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos,
meque sinus omnes, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent!

(VI 60)

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos!

(VII 3)

Ad cenam invitant omnes te, Phoebe, cinaedi.
Mentula quem pascit, non, puto, purus homo est.
(IX 63)

Nubere Paula cupit nobis, ego ducere Paulam
nolo: Anus est. Vellem, si magis esset anus.
(X 8)

Septima iam, Phileros, tibi conditur uxor in agro.
Plus nulli, Phileros, quam tibi,reddit ager.
(X 43)

Mentitur, qui te vitiosum, Zoile, dicit.
Non vitiosus homo es, Zoile, sed vitium!
(XI 92)

Difficilis - facilis, iucundus - acerbus es idem:
Nec tecum possum vivere nec sine te.
(XII 46)

Sit nobis aetate puer, non pumice levis,
propter quem placeat nulla puella mihi.
(XIV 205)